



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis  
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.  
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

**Izquierdo, Sebastián**

**Lugduni, 1659**

Quæst. 4. In quo consistat iudicium humanum. Qualisque sit natura eius,  
& quale obiectum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

absolute intelligitur, quid verum est reuera existens, ut supponimus, phantasma autem iuenis, in quo intelligitur, obiectum quoddam est sensibile factibile à Deo, atque adeo quid etiam verum quoad essentiam possibilem; neque est, quod vetet esse etiam verum quoad existentiam. Aliud autem præter hæc duo non interuenit, quod cum sit obiectiue in mente, re ipsa non sit, prout ad ens rationis fictum requiritur. Quod si huiusmodi sensibilia phantasmata, dum pro alijs rebus intelligendis subrogantur, plerumque finguntur quoad existentiam tum ab intellectu, tum à phantasia, eo quod, cum non sint reuera, apprehenduntur, ac si essent; quo iure entia rationis quoad existentiam ficta vocari possunt. Id tamen casuale, accidentariumque est in ordine ad talem subrogationem: nam & subrogatio eodem modo fieret quantumvis phantasmata subrogata essent vera quoad existentiam, vti nunquam fortasse de facto sunt, & eodem modo ipsa phantasmata essent ficta quoad existentiam, quantumvis non subrogarentur pro rebus alijs intelligendis. Ob id in coniectario dico ex vi præcisè cognoscendi per species alienas, atque adeo subrogandi, iuxta sententiam meam, pro rebus cognoscendis phantasmata, non fieri ab intellectu nostro entia rationis ficta. Tum quia quando id, quod per speciem alienam, per dictamque subrogationem cognoscitur, verum non est, ab intellectu fingitur ens rationis, non quia tali modo cognoscit; sed quia re vera non datur id, quod cognoscit.

167 Iam verò secunda coniectarij pars ex eadem nostra doctrinā probanda venit. Cum enim, iuxta *superius* dicta, ea, quæ à nobis cognoscantur per phantasmata substituta, veluti per quamdam extrinsecam denominationem induant in mente nostra obiectiue conditiones talium phantasmatum, quatenus apparent plura, & distincta, si phantasmata sunt plura & distincta; vnum autem si phantasmata sunt respectiua; absoluta quando absoluta &c. Confitetur ut illa non quidem per identitatem; sed per substitutionem talia sint in mente nostra obiectiue suppositio quodam modo, qualia phantasmata ipsa sunt. Quo iure illud esse, seu modum essendi obiectiui, quem in phantasmatibus, in quibus cognoscuntur, habent, & verè non habent in se, ens rationis supposititium quodammodo ab intellectu factum; non tamen fictum appellamus. Hoc pacto dum intellectus noster cognoscit per plura substituta phantasmata id, quod realiter est vnum, distinctionem quamdam rationis supposititiam facit, eamque vel præcisam, vel non præcisam iuxta dicta *Consec. 4.* Dum autem quæ in se sunt plura, in vnicō phantasmate cognoscit, prout explicauimus *ibidem*, vnitatem facit rationis supposititiam. Similiter quando per modum actus in quodam phantasmate respectiui cognoscit id, quod re ipsa non est tale, iuxta doctrinam tradendam *q. seg.* respectum quemdam rationis supposititium facit. Tantumdemque euenit quoties per modum relationis cuiuslibet generis concipit id, quod re ipsa relatio non est, &c. Quæ omnia magis conspicua fiunt ex dicendis *disp. 12.* vbi de entibus rationis productior sermo habendus est.

168 Dico phantasma respectiui id, quod intellectus noster accommodat ad concipiendum quemuis respectum, seu relationem, & vniuersim quicquid per modum respectus, seu relationis concipit, quale est phantasma alicuius fontis, riuli, aut radij cuiusvis materiae se se fundentis versus aliud; phantasma alicuius funis, vel viæ, vel demum cu-

iuslibet quantitatis versus aliud quidpiam extensæ, ad illudve tanquam ad terminum terminata. Phantasma quippe respectiui semper est aliquid sensibile verius aliud extensum, ad illudve terminatum ex suo conceptu. Plerumque autem ut quid medium inter duo extrema concipitur, quorum alterum vicem habet subiecti, alterum vicem termini: quia plerumque vtimur phantasmate respectiui ad cognoscendum actum significabilem per verbum. Qui quidem ex conceptu suo exercitium quoddam alicuius subiecti circa aliquem terminum est, ut a fatim explicabo *q. seg.* Iam verò phantasma absolutum appello omne aliud, quod non est respectiuium, quodque subinde solitariè cōceptibile, & subrogabile est pro re cognoscendā; cum tamen respectiuium ut tale absque comite, ad quem terminetur, nec est conceptibile, nec subrogabile pro re cognoscendā, ut constat ex dictis.

#### QVÆSTIO IV.

*In quo consistat iudicium humanum; Qualis-que sit natura eius; & quale obiectum?*

DE quidditate apprehensionis simplicis nihil 169 speciale opus est addere ijs, quæ *q. 2.* diximus, præterea quæ mox tangemus. De quidditate verò iudicij, atque discursus nostri, deque proprietatibus eorum multa scitu dignissima restant in sequentibus aperienda. Agam in hac quæst. primum de iudicio categorico. Deinde de hypothetico, & reliquis.

P. Val. 1. p. *disp. 223. cap. 3.* opinatus est iudicium nostrum categoricum cum in duplici apprehensione consistere, quarum vna subiectum, altera prædicatum attingat, non quidem absolute; sed ita relatè, ut vnum alteri conueniens, aut disconueniens representetur; eo enim ipso quod talis respectus conuenientia, aut disconuenientia concipitur, non posse non eiusmodi conceptionem esse iudicium affirmatiuum, aut negatiuum; vnde inferri non posse mere simpliciter apprehendi vnum alteri conuenire, aut non conuenire. At Petr. Hurt. *disp. 7. de Anim. sec. 2.* Arriag. *disp. 6. de Anim. sec. 4.* Franc. Alf. *disp. 14. de Anim. sec. 3.* Ruiz tom. *de scientia Dei disp. 13. sec. 1. n. 9. & 10.* & plures alij Recentiores existimant iudicium nostrum simplicem qualitatem esse, siue simplicem actum, per quem indiuisibiliter attinguntur subiectum, & prædicatum eorumque conuenientia, & disconuenientia. Gasp. Hurt. verò *disp. 4. de fide assic. 3.* tres intellectiones distinctas adstruit, aliā circa subiectū, aliā circa prædicatū, aliā circa conuenientia, siue disconuenientiam eorum; ex quibus omnibus dicit coalescere iudicium. Quam sententiam sequitur Gran. i. p. *conce. Tract. 7. disp. 4.* Pro eademque refertur Molin. 1. p. *q. 1. art. 3. concl. 3.* Verum Molina ibi tamen doceat tres conceptus nos efformare, dum iudicamus hominem esse animal, quorum vnus subiecto, alius prædicato, alius copulæ correspondet; asserit tamen iudicium in solo conceptu copulæ ponendum esse; non verò in aggregato, siue composito ex his tribus, uti arbitrantur Gran. & Gasp. Hurtado.

Supponere autem videntur omnes isti Doctores 171 per iudicium negatiuum eodem modo fieri intellectum nostrum in disconuenientiam, seu negationem conuenientia

conuenientia subiecti, & prædicati, ac fertur per affirmatiuum in conuenientiam ipsam. Ita quidem ut qui negat Petrum esse iustum, non aliter attribuat Petro carentiam, seu negationem iustitiae; ac qui affirmat Petrum esse iustum, attribuet iustitiam. Neque in alio iudicium negatiuum ab affirmatiuo discriminatur nisi quod primus in obiectum negatiuum, secundus in obiectum positium eodem tamen modo ferantur. Sunt tamen plures, & docti Recentiores, qui censent iudicium negatiuum, & affirmatiuum non ex obiecto; sed ex modo tendendi in ipsum discriminari: versari enim utrumque circa idem omnino obiectum; negatiuum quidem per modum cuiusdam fugæ, recessus, seu dissensus; affirmatiuum autem per modum cuiusdam prosecutionis, adhesionis, seu assensus; quemadmodum in sententia communi odium voluntatis per modum fugæ, seu recessus respicit obiectum, quod per modum prosecutionis, seu accessus respicit amor. Cuius sententia est noster Cardinalis Lugo tom. de penit. disp. 1. sec. 2. n. 13. & seqq. ubi eodem pacto, quod ad rem attinet, philosophandum censet de intellectu, ac de voluntate, hoc solum interueniente discrimine, quod dum voluntas per odium fugit ab obiecto malo, quia in alium, ab ipsa etiam malitia, imo potiori iure fugit, intellectus verò dum per iudicium negatiuum fugit ab obiecto falso, quia fallum, falsitatem eius, seu negationem veritatis non fugit; sed potius eam approbat, siue ei assentit. Vnde concludit n. 18. sine; quamuis non repugnet actus voluntatis, qui non sit prosecutio formalis obiecti directi, vel indirecti; & quamuis possit etiam dari iudicium intellectuale, quod non sit assensus formalis, sed mera fuga obiecti directi: non tamen videtur possibile iudicium, quod non sit assensus formalis obiecti indirecti: propter quod negat obiectum directum.

172 Pro exactiori totius quæstionis præsentis, aliarumque difficultatum resolutione operæ pretium erit haud dubie hypotheses sequentes præmittere.

### Hypothesis 1.

173 Non solum subiectum, & prædicatum; sed etiam eorum conuenientia, aut disconuenientia; & vniuersum quoduis iudicii obiectum per simplicem apprehensionem potest attingi.

Est contra Vas. citatum n. 170. Eam tamen tenent Petrus Hurt. disp. 7. de Anim. sec. 1. Arriag. disp. 6. sec. 4. & alij RR. communiter, quin imo ceteri omnes Philosophi, Theologique videntur citra dubium supponere. Probatur clarè primò. Nam qui alterius errorem dignoscit, fugillatue, non potest non simpliciter apprehendere integrum obiectum iudicii, siue propositionis erroneæ. Qui enim fieret ut Arium erroris postularemus dicentem verbum diuinum esse creaturam, nisi totum illud complexum simpliciter apprehenderemus, verbum scilicet, creaturam, identitatemque constitutam? Igitur non solum subiectum, & prædicatum sed identitas vtriusque, seu conuenientia simpliciter apprehendi potest, & solet. Secundò nam quoties aliquis dubitat, quæritque an prædicatum aliquod alicui subiecto conueniat, aut non conueniat non solum prædicatum & subiectum apprehendit simpliciter, sed etiam eorum conuenientiam, atque disconuenientiam; cuncta enim hæc constitunt adæquatum obiectum talis quæstionis, ut per se est notum. Tertio: quia iudicans aliquid condi-

tionatè, non potest non apprehendere simpliciter ex parte hypothesis integram obiectum propositionem, quæ alias adæquatum obiectum iudicii, propositionis vocalis absolute esse possit, ut perpendenti conspicuum fiet. Quartò: quia quoties negatio conuenientia alicuius prædicati alicui subiecto per iudicium tribuitur, prorsus est necessarium, ut conuenientia ipsa, quæ ipsissimum iudicii oppositi obiectum est, simpliciter apprehendatur. Neque enim fieri potest, ut intellectus negationi conuenientia per iudicium adhæreat, ignota omnino conuenientia, ad quam refertur ex suo conceptu negatio ipsa. Ex quibus patet apprehensiones simplices, & iudicia non ex parte obiectorum; sed ex diuersis modis tendendi in eadem obiecta differre, ut superius etiam tetigimus.

Verum contra hanc doctrinam obijci potest 174 Arist. lib. 3. de Anim. cap. 6. text. 21. Vbi simplicem apprehensionem indiuisibilem intellectionem appellat, cum tamen ubi adest iudicium, compositionem dicat conceptum fieri. Sentit ergo apprehensionem simplicem in obiectum complexum, quale est obiectum iudicii, fieri non posse; alioquin non minus per illam, quam per iudicium fieri compositionem doceret. Respondeo Arist. in eo loco propterea simplicem apprehensionem vocare indiuisibilem intellectionem, quia hæc dum vnica est, vnicum tantum obiectum indiuisum potest nobis repræsentare, prout supra q. præced. n. 131. ex ipso Arist. ostendimus. Per iudicium autem id circò dixit compositionem conceptum fieri, quia ob peculiarem modum tendendi, quem habet suauum, & determinatum suo veluti nixu, seu impetu prædicatum subiecto adiungit, quando est affirmatiuum, aut ab eo separat, quando est negatiuum; quod tamen simplex apprehensio præstare non valet; etiam si circa idem omnino obiectum iudicii versetur, quia versatur circa illud simplici quodam, lenique aspectu, & ad utrumvis prorsus indifferente. Quocirca, cum quis interrogat, utrum Petrus sit sapiens, tametsi apprehendat simpliciter Petrum, sapientiam, & conuenientiam vtriusque, non dicitur attribuere Petro sapientiam; quemadmodum quando affirmat Petrus est sapiens: cum tamen per hanc affirmationem nihil aliud ex parte obiecti, quam per illam quæstionem tangat. Verum de his statim plura.

### Hypothesis 2.

Ea est mira intellectus nostri proprietas pro hoc statu, ut nihil omnino iudicare possit absque duobus saltem terminis, siue conceptibus obiectiuis, quorum alter verbo, alter nomini, siue verbi supposito, ut vocant Grammatici, correspondeat. 175

Certissima est hæc hypothesis, frequentèque omnium experimento bene aduertenti exploratissima. Ut tamen luculentius appareat notandum est cuiuslibet omnino verbi significatum actum vocari apud Philosophos præsertim antiquiores, eo quod non potest non à nobis concipi instar cuiusdam exercitij actualis suppositi; siue subiecti, cui tale significatum per nostrum iudicium, aut attribuitur affirmando, aut negando derahitur. Vnde actus per verbum significatus è genere relationum, siue respectuum est ex conceptu suo. Respicit enim & subiectum, cuius est actus, & terminum, circa quem per talem actum ipsum subiectum exercetur. Exemplo sit actus, quo visus noster dicitur videre parietem; ille enim & significatur per verbum

verbum *video* & est exercitium, quo visus sese exercet circa parietem, & ex suo conceptu respicitur visum, cuius actus est, tum parietem, circa quem est; idemque reperitur in omni actu, qui per quodvis verbum significatur, ex proprio conceptu. Nam omnes similem sibi vendicant conceptum obiectiuum in mente nostrâ: cum omnes eodem modo concipiuntur: sicut eodem significantur, atque coniungatur per verba.

176 Porro cuiusmodi actus ipsissimum est obiectum iudicij nostri. Intellectus quippe noster neutiquam ferri potest pro hoc statu, qualiter ad iudicandum oportet, in id quod non obicitur per modum actus & exercitij alicuius subiecti. Quod cunctis satis compertum, & exploratum erit, si aduertant. Inde enim provenit, ut absque verbo neutiquam possimus aliquid affirmare, aut negare, ut constat; & consequenter neque absque supposito verbi. Etenim nullum est excogitabile verbum, sine supposito aut expresso, aut subintellecto, ut dogma solenne Grammaticorum est: quia nimirum nullus est excogitabilis actus, qualem omnia verba significant, qui non sit actus alicuius subiecti se se per ipsum exercentis, quale significat suppositum. Grammaticis quippe est suppositum, quod logicis subiectum. Atque ita æque repugnat apud illos esse verbum sine supposito; ac apud hos esse prædicatum sine subiecto. Propriissimum enim prædicatum id est, quod significat verbum, ut postmodum exponam.

177 Et quoniam nullus est cæterorum verborum actus, qui non præsupponat, & inferat actum significatum per verbum *possum*. Semper enim valet: *Currat, ergo potest currere. Videt, ergo potest videre. Vnitur, ergo potest uniri. Est, ergo potest esse* &c. Idcirco actus verbi *possum*, qui in abstracto significatus potentia dicitur; actus primus respectu cæterorum iure optimo appellatus est, & cæteri respectu eius actus secundi. Ut hinc perspicias unde prouenerit, quod potentia in vniuersum actus primus vocetur, reliqui autem omnes actus, actus secundi. Est autem actus verbi *possum* prior reliquis actibus, eoque iure primus respectu eorum: quia omnis actus secundus essentialiter cum sua potentia connexus est non mutua connexione posterioris: quæ proinde, quam illa suapte natura iuxta dicenda de ordinibus prioris, & posterioris *inferius dist.* 15. Unde rursus efficitur, ut ab actu ad potentiam semper sit bona consequentia; sed non e converso. Quæ omnia satis conspicua sunt bene aduertenti, & obseruanti.

178 Cæterum quia habere illa probe perspecta eximij sane momenti est, ut ex decursu huius operis compertum fiet. Quo ea luculentius adhuc appareant, & firmius consent; notandum vltius est, idcirco ab Arist. à totaque Antiquitate dici nos iudicare componendo & diuidendo, affirmatiuumque iudicium compositionis, negatiuum verò iudicium diuisionis vocari: quia non possunt non ex parte obiecti; dum iudicamus, duo saltem nobis conceptus obiectiuum obuersari; quorum alterum vel cum altero componimus, siue coniungimus per iudicium affirmatiuum; vel ab eodem diuidimus, siue disiungimus per negatiuum. Itaque huiusmodi iudiciorum nostrorum compositio, & diuisio non se habent ex parte actus; cum certum sit affirmatiuum, & negatiuum æque esse in se actus aut compositi, aut simplices; sed ex parte obiecti, ut est notissimum, traditumque ab Arist. lib. 3. de Ani. cap. 6. text. 21. à S. Th. PP. Conimb. P. Tolet.

& alijs expositoribus ibi. Textus Philosophi ita habet. *At in quibus iam falsitas, & veritas inest, in hisce compositio quadam iam est conceptuum.* Puta obiectiuorum. Subdit enim exemplum. *Sic & hæc comparata componi solent, ut incommensurabile, & diameter.* Constat autem incommensurabile, & diameter, quæ componi dicuntur ab Arist. esse conceptus obiectiuos. Incommensurabilitas enim proprietas est diametri, & costæ Quadrati, ut demonstrat Euclid. lib. 10. *Elementorum propositione vltima.* Atque adeo verè de tali diametro affirmatur esse incommensurabilem, componendo hoc prædicatum cum illo subiecto. Accinit S. Th. lib. 1. *Periherm. lec. 1.* Sic incipiens. *Sicut dicit Philosophus in 3. de Anima, duplex est operatio intellectus, una quidem, quæ dicitur indiuisibilem intelligentiam. &c. Alia est operatio intellectus, scilicet componens, & diuidens.* Et mox *Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio, & diuisio nisi simplicium apprehensionum.*

Itaque quemadmodum causa efficiens physica 179 per eam actum dicitur componere hominem effectiue, per quem inter materiam, & animam ponit vnionem. Per eam autem actum dicitur hominem effectiue diuidere, per quem dictam vnionem amouet, siue corrumpit. Ita intellectus per eam actum dicitur componere obiectum, puta quasi effectiue, per quem vnionem obiectiuam ponit; per eam autem diuidere, per quem talem vnionem remouet. Dicitur autem illam ponere, cum affirmat: remouere autem, cum negat, sumptâ analogiâ à causis physicis ponentibus, aut amouentibus vnionem physicam. Cæterum sicut causa physica bifariam vnum cum alio solet componere. Primò mediâ vnione ab utroque extremo distinctâ; ut dum componitur homo ex corpore, & animâ mediâ vnione interiectâ. Secundo line vnione distinctâ ab utroque extremo; ut cum componitur aliquod totum ex modo, & re, cuius est modus, ut est notum (modus quippe se ipso, & line vnione mediâ affigitur, vniturque rei, cuius est modus, ut est notum) Sic etiam intellectus quandoque vnum alteri coniungit intentionaliter mediâ vnione, seu copulâ intermediâ. Ut cum affirmat hominem esse animal. Per tale enim iudicium animal veluti copulatur homini mediâ identitate. Seu actu essendi substantiuo significato per verbum est. Interdum vnum alteri coniungit absque intermediâ vnione; ut cum affirmat hominem currere. Currus enim cum concipitur ut quidam actus, & exercitium hominis absque vnione à se distinctâ iungitur, & affigitur homini intentionaliter per id iudicium. Pariterque philosophandum proportionem seruât de diuisione oriundâ à iudicio negatiuo.

### Hypothesis 3.

Ex dictis circa præcedentem hypothesin nonnulla scitu dignissima colligenda veniunt. 180

Primò enim colligitur ad iudicium nostrum compositionis, aut diuisionis necessariam omnino esse pluralitatem conceptuum obiectiuorum, ut statutum est, Philosophusque, & eius interpretes cum totâ Antiquitate supponunt. Nam sicut impossibilis est compositio physica vnius cum alio, & diuisio physica vnius ab alio, si non sunt physice vnum & aliud; ita etiam est impossibilis compositio intentionalis vnius conceptus obiectiuum cum alio, & diuisio intentionalis vnius ab alio, si non sunt vnus, & alius.

*Omnia sunt plurima folia*